



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Corona Avrea Svper Mithram Romani Pontificis

Raynaud, Théophile

Romae, 1647

Punctum III. Non tolli mo[n]strositatem mystici corporis Christi, quod est Ecclesiae, ex eo quod bina eius visibilia capita, vnum, non plura fuisse perhibeantur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10481**

Non tolli monstrositatem mystici corporis Christi, quod est Ecclesia, ex eo quod bina eius visibilia capita, vnum, non plura fuisse perhibeantur.

**I**NTVTVM valdè perfugium captauit binorum Ecclesiæ capitum faber, ratus declinaturum se monstrositatem quam vrgemus, si diceret, duo capita, quæ commentus est, idcirco non incommodasse concinnitati & optimæ constitutioni mystici corporis Christi, atque adeò neque binas animas mysticas, neque monstrositatem inuexisse, quod non fuerint reipsa duo capita, sed vnicum. In quam rem (si Deo placet) exemplum adhibet ipsiusmet Augustissimæ Triadis, quæ triplex cum sit personis, est tamen vnicus vniuersorum moderator & rector. Adhibet præterea suffragium S. Gregorij<sup>a</sup>, qui scribens ad Eulogium Alexandrinum, affirmat tres sedes Patriarchales, Romanam, Alexandrinam, & Antiochenam, vnã & eandem S. Petri Sedem fuisse; quam ita renerent tres Episcopi, vt tamen omnes vnum essent in S. Petro; & eius vnus authoritate ad tres illos transfusa, & in tribus vnica potirentur. Quinetiam cum Patriarchatus ad quinarium excreuerunt, & Ecclesia, vt Theodorus Studita<sup>b</sup> dixit πεντακέφαλος *quinticeps* facta est, vnicum tamen omnes fuisse caput, dixit his verbis Theodorus Balsamon<sup>c</sup>. [ Sanctissimos quinque Patriarchas, nouimus esse vnum caput corporis omnium Ecclesiarum Dei. ] Non potest igitur videri nouum, Apostolorum Principes, ita statui duo capita, vt tamen non sint nisi vnum.

<sup>a</sup> libi. 6. regis  
epist. 37.

<sup>b</sup> epist. ad Nau  
erat. data an-  
no 819.  
<sup>c</sup> Opusc. de 5.  
Patriarchis,

2 Manifestum est ex hoc effugio, rectè dixisse S. Augustinum<sup>a</sup>; [Procliuiiores sumus quærere potiùs quid contra ea respondeamus, quæ nostro obijciuntur errori, quàm intendere, quàm sint salubria, vt careamus errore.] Reuera tamen hoc responsi commentum, quantumuis ad creandas officinas subdolè excogitatum, nihil conferre potest ad tollendam bicipitis corporis Ecclesiæ monstrositatem. Nam bina Ecclesiæ capita, si reuera sunt bina, non possunt dici esse vnicum caput, nisi alterutro duorum modorum. Prior est, quo duo censentur moraliter vnum ob voluntatum consensionem; ratione cuius, conferta fidelium multitudo in Ecclesiæ exordio, dicta est cor vnum, & anima vna. Alter modus est, quo duo capita vnum dicantur, ob alternationem regiminis. Quia ratione olim Romani, tametsi duos habebat Consules, penès quos erat suprema ordinaria potestas administrandæ Reipublicæ; dicebantur tamen vni capiti subesse, quia duo Consules non imperabant simul, sed per vices. Sic enim glossandum est, quod habet author historiæ Machabeorum<sup>b</sup>, cum ait de Romanis cum quibus Iudas foedus iniuit. *Committunt vni homini magistratum suum per singulos annos dominari vniuersæ terræ suæ, & omnes obediunt vni.* Hic vnus, non potest intelligi de Rege, qui pridem exactus erat: Nec de Dictatore, qui erat extraordinarius Magistratus, non quotannis, vt is sacer Scriptor ait, sed summis temporibus ad breuem moram delectus: Nec de Augustis, quorum tempora præcessit Iudas Machabæus. Qui enim tempus initi huius foederis subdlexerunt; signant annum mundi 3894. ante Christum 159. ac proindè initum est longè ante Cæsarem, qui anno mundi 4006. ante Christum 47. inuasit imperium. Itaque Scriptor sacer, asserens Romanos vni homini quotannis Magistratum suum commisisse, & omnes vni obediuisse, accipiendus est de vno

mo-

<sup>a</sup> lib. de natura  
 & gratia. c.  
 25.

<sup>b</sup> lib. 1. cap. 8.  
 vers. 16.

statu. dicitur  
a lib. 5. Civi.  
c. 12.

b in Numa.  
c lib. 2. c. 22.

d lib. 4. de Re-  
pub. Athen.  
c cap. 3.

f l. 1. de Verbo  
Dei cap. 15.  
g l. sag. difficul-  
tat. 6.  
h ad eum lo-  
cum.

moderatore, ob alternationem regiminis in Consulibus qui tametsi materialiter duo erant, propterea q. à D. Augustino <sup>a</sup> dicti sunt *duo Imperatores*; tamen formaliter non erant plures summa potestate potentes; quia alternis diebus fasces ab vno ad alium transferebatur, & cum fascibus summa in Reipublicam potestas ab vno ad alium migrabat, vt habetur ex Plutarcho <sup>b</sup>, & disertè ex Liiio <sup>c</sup>, sicut etiam apud Græcos, alternis diebus summam rerum fuisse penès vnum ex Epistatis scribit Sigonius <sup>d</sup>. Quamquam ad rem nostram perindè esset, si quod habet in Cæsaris vita Suetonius <sup>e</sup>, verum esset alternis tantùm mensibus mutatos fuisse fasces, & translata esse ab vno Consule ad alium supremam regendi potestatem. Sic extricat eam difficultatem ab Hæreticis motam, ad expungendam è librorum Canonicorum albo historiam Machabæorum, Bellarminus <sup>f</sup>, eique subscribens Ludouicus de Tena <sup>g</sup>. Quæ verò præterea ad eam difficultatem enodandam adducit Serarius <sup>h</sup>, quasi locus ille accipi possit de vno, qui cum exercitu in aliquam prouinciam à Romanis mitteretur, vel de vno Dictatore, non quadrant adiunctis, quia Scriptor facer manifestè agit de politia, non in exercitu, sed in vrbe Romana, ad quam Iudas misit, qui fœdus inirent; neque agit de politia extraordinaria in tempore necessitatis insolitæ, sed de quotidiana; (tunc quidem.) Itaque modus legitimus exponendi quis esset ille *vnus*, cui omnes Romani obediebant, is est quem assignauit per alternationem supremæ potestatis ratione cuius alternationis, duo Consules habebantur vnum morale Caput Reipublicæ.

3 Necessè igitur est, vt duo illa Ecclesiæ capita, quæ aduersarius non nisi vnum caput esse esse ait, alterutro modo proposito se habuerint. Neuter autem est reuera idoneus; nec inde potest monstrari bicipitis Ecclesiæ de-

declinari. Non prior, quia vt puncto superiore attigi, concordia fixa rectorum, qualis necessaria est ad convenientem Ecclesiæ gubernationem, impossibilis est, (rem moraliter spectando) cum agitur de duobus supremis rectoribus non subordinatis. Tanta quippè est varietas adiunctorum in negotijs ad Orbis vniuersi rectionem spectantibus, cuiusmodi est rector de qua agimus, vt impossibile sit, humano modo loquendo, non existere circa eam, magnam Iudiciorum diuersitatem, quam ex necessitate subsequitur discordia voluntatum, vt rectè admonet Abbas Ioseph<sup>a</sup>. Quid verò facilius, quàm vt <sup>a Collae 16. cap. 8.</sup> duæ voluntates, quæ sunt supremæ potestatis subiecta, collidantur inter se, dum vna improbat, quod alteri est acceptum; ac præ comparis æmulatione, destruere nititur, quod illa fuerit meditata?

4. Nec licet dicere, hoc inter Sanctos non esse timendum, quia æmulatione vacant. Hoc inquam dici non potest. Talis enim debuit esse institutio Pontificis, vt etiam si qui in eo gradu collocantur reprobi fierent, quod S. Paulus<sup>b</sup> sibi ipsi timuit, consilium tamen Dei & Pro- <sup>b 1. Cor. 9.</sup> uidentia in suam Ecclesiam, non labaret. Sicut videmus, durissimis Ecclesiæ temporibus, cum Pontifices inquinatissimi throno Apostolico insiderent, intemeratam, semper & inconcussam stetisse Pontificiam dignitatem quoad substantialia, hoc est quoad doctrinam sanam è Cathedra subministratam fidelibus, & responsa data circa mores absque labe tenendos: Quia Christus Pontificiam dignitatem instituens, prouidentissimè cauit, vt omnis ea in parte defectus auerteretur, quicumque esset, qui ad eum dignitatum verticem prouerteretur. Quis ergo dubitet, quin similiter prouiderit, vt talis esset Pontificiæ dignitatis institutio, qua præcluderetur occasio æmulationum, vnde euersio regiminis boni, & convenientis directionis Ecclesiæ posset existere? At positis

duobus simul supremis capitibus, quæ non erat sperandum semper fore sanctissima, impossibile esset, non subnasci æmulationes, cum damno Ecclesiæ, nec obscuro, nec leui.

5. Neque verò peruersã tantùm æmulatiõ, quæ inter malos excitari potest, damni cui timebam periculum crearet; sed etiam æmulatiõ innoxia, qualis inter duos Angelos refertur <sup>a</sup> fuisse, dum vnus pro Persis agens, alteri pro Iudæis sollicito obstitit, vt S. Gregorius fuisè expendit <sup>b</sup> ad illud Iobi 26. *Qui facit concordiam in sublimibus suis*. Item qualis fuit SS. Petri & Pauli circa legalia, neutro aduersùs fidem peccante; etiam si S. Petrus <sup>c</sup> verè dictus est *reprehensibilis*, eo modo quo lex vetus iuxta Apostolum <sup>d</sup> *non vacauit reprehensione*, quia erat minùs perfecta, etiam si nullatenus mala. Tamen si ergo vterque rectè abs se factum credebat, quod faciebat, & re ipsa vterque erat innoxius, tamen fuit inter eos dissensio, atque dissidium; Et fuit etiam inter SS. Paulum, & Barnabam pro Ioanne, vt narrat Lucas <sup>e</sup>. Constat item, Sanctos Chrysostomum & Epiphanium; occasione Origenistarum quos hic auersabatur, ille fouebat, dissidia agitasse. Et defuisse iniuriam numinis inde videtur constare, quod alter alteri diuino afflatu motus, calamitatem euenturam prænuñciauit, si vera scribunt Socrates <sup>f</sup>, atque Sozomenus <sup>g</sup>. Nimirum, vt optimè ratiocinatur D. Bonauentura <sup>h</sup> etiam Sancti, & boni interdum dissident ab inuicem, quia veritas non est omnibus æqualiter perspecta quoad omnia: vnde facile contingit, vt vnus expedire iudicet, quod alius damnosum esse, & auersandum existimat: Ex quo sequitur, vt vno satagente, pro negotio, quod vtile arbitratur promouendo, alius pro virili contranitur, vt obiecem apponat, & damna existimata præcludat. Inde ergo plerumque, etiam inter bonos, dissidia; quamuis vtrinq; optima sit.

<sup>a</sup> Dan. 10.

<sup>b</sup> 17. moys. 8.

<sup>c</sup> Gal. 2.

<sup>d</sup> Hebr. 5.

<sup>e</sup> Act. 15.

<sup>f</sup> lib. 6. c. 11.

<sup>g</sup> lib. 8. c. 15.

<sup>h</sup> ad q. 20. circa Reg. S. Fr. & c.

fit intentio, & flagrans in Dei gloriam animus, quem pars altera potest absque culpa ignorare, vt manifestè contigit Moyfi<sup>a</sup> ac Iosue; quorum ille succensuit Rube-<sup>a Num. 35.</sup> nitis, & dimidiæ tribui Manasse, petentibus obtinere terram Basan & Hesebon. Hic verò<sup>b</sup> aduersùs eisdem commotus est, quasi altare ad sacrificandum loco indèbito erexissent; quorum intentio in vtroque euentu fuerat longè alia quàm Moyfès ac Iosue existimarent. Vrget hoc exemplū in hanc ipsam rem, Facundus<sup>c</sup> agens<sup>c lib 7. c. 6.</sup> de Sanctorum dissidijs. Huiusmodi ergo æmulationes & diffidia, per accidens vtrunque iusta, ex innoxia iudiciorum varietate inter probos & sanctos Ecclesiæ supremos rectores enata, præpedirent plerumque bonam Ecclesiæ rectionem, eique non mediocriter officerent; ac proinde à prudentissima per Christum institutione dignitatis Pontificiæ, aliena censenda est ea duorum vitibilium supremorum capitum coniunctio, quantumuis moraliter ob concordiam dicantur non nisi vnum conflare.

6 Video opponi in cōtrarium posse, exemplum multorum Imperatorum Romanorum, qui asciscabant alios in consortium imperij; cuius proinde erant tunc duo ex æquo capita. Primus dicitur consortem huiusmodi ascivisse M. Antoninus Philosophus, adiuncto sibi fratre Lucio Vero, vt scribit in eius vita Capitolinus. Sed & Valentinianus, duos filios suos Gratianum, & Valentinianum, Augustos ac Imperij consortes dixit. Ex quo infert aduersarius; salua Monarchia, fuisse simul aliquando plura Imperij capita; id est plura subiecta idem ius supremum simul possidentia; non vt pendentia ab inuicem, sed vt potentia eadem suprema autoritate: vnde vno abeunte è viuis, imperium non vacabat ex parte, quia tota autoritas perstabat in superstite; qua indiuisim potiebatur cum altero, dum esset super. Ita qui-

dem Aduersarius, qui Romulum item ac Remum, simul Romæ dominatos absque vnus ad alterum dependentia, non omisit.

a cap. 18.

7 Suppeditat hic nobis aduersarius gladium quo cōfodiatur. Ita vt optimè huc cadat, quod Giselbertus author libri de Ecclesiæ, & Synagogæ altercatione<sup>a</sup> accidisse Iudæ Machabæo obseruat; vt Apolloniū ipsiusmet gladio sibi assumpto obtruncans, pro populo Dei multa prælia confecerit: id quod æmulari ait sacros quoscumq; disputatores, cum arma inimicorū vertunt in propugnationem veritatis, & tela ab hoste intorta, retorquent feliciter in eum, qui misit. Sanè vel ex hoc vno exemplo Romuli ac Remi, quod Aduersarius admodum improuidè ingessit, perspicuum esse, vel lusciosis potest, quam malè materiata sit forma regiminis, cum duo supremā potestatem obtinent, absque subordinatione & dependentia. Sanctus sanè Hieronymus<sup>b</sup>, informans Rusticum, & infigans illi, vt vnus alterius Imperio dirigi velit;

b. epist. 4, c. 6.

c lib: de idol. vanis.

[ Etiam muta animalia (inquit) & ferarum greges, ductores sequuntur suos. In apibus Principes sunt. Grues vnā sequuntur ordine literato. Imperator vnus, iudex vnus prouinciæ. Roma vt condita est, duos fratres simul habere Reges non potuit, & parricidio dedicatur.] Præiuerat S. Cyprianus<sup>c</sup>, qui probans non posse esse, nisi vnum supremum vniuersitatis rectorē, quem Deum dicimus, sic differit. [ Vnus igitur omnium Dominus est Deus. Neque enim illa sublimitas potest habere confortem, cum sola omnem teneat potestatem. Ad diuinum imperium, etiam de terris mutuemur exemplum. Quando vnquam Regis societas, aut cum fide cœpit, aut sine cruore desijt? Hic Thebanorum germanitas rupta, & permanens rogis dissidentibus, etiam in morte discordia. Et Romanos geminos, vnum non capit regnum, quos vnum vteri cœpit hospitium. Pompeius & Cæsar affines.



affines fuerūt, nec tamen necessitudinis foedus in æmula potestate tenuerunt. Nec hoc tantùm de homine miseris, cum in hoc omnis natura consentiat. Rex vnus est Apibus, & dux vnus in gregibus, & in armentis rector vnus.]

8 Exscripsit propè verbatim S. Cyprianum, Minutius in Octauio, qui aliorum, incarnatis necessitudinibus (vt cum Saluiano <sup>a</sup> loquar) implicitorum, ad idem monstrandum exempla adhibet. Sed nominatim de Geminis Romulo inquam & Remo, ob Pastorum, & casæ regnum, memoriam ait esse notissimam; nec non bellorum generum inter ac socerum, (Pompeium scilicet atque Cæsarem) quæ toto orbe diffusa notat, quia tam magni Imperij duos fortuna non cœpit. Poëtam, & Minutius, & S. Cyprianus<sup>b</sup> videntur æmulati, cuius illa sunt de infida ad tempus societate plurimum summorum, ex parte descripta à Ruperto <sup>c</sup>.

a l. 3. ad Eccl.

b lib. 1. phar

c l. 6. de opor. Spir. sancti c. 9.

*O malè concordēs nimiaque cupidine cœci  
 Quid miscere iuuat vires orbemque tenere  
 In medio? dum terra fretum, terramque leuabit,  
 Aër, & longi voluent Titana labores,  
 Noxque diem cœlo totidem per signa sequetur  
 Nulla fides regni socijs, omnisque potestas  
 Impatiens consortis erit; nec gentibus ullis  
 Credite, nec longè fatorum exempla petantur  
 Fraterno primi maduerunt sanguine muri.*

Agebat Poëta de iunctis necessitudine per inita coniugia; & rectè negat, vbi de societate summæ potestatis agitur, reuerentiam affinitatis, aut etiam cognationis, posse obstare, quominus exosa sit regni societas. Id quod pereleganter Rupertus<sup>d</sup> monuit, sic accipiens illud, *Quia vidisti ferrum mixtum testæ & luto, commiscebuntur quidem humano semine, sed non adhærebunt sibi, sicut ferrum non potest misceri testæ.* [Cum magna admiratione]

d lib. 6. de Ver. Hor. Verbi Dei: c. 20.

ne hoc accipiendum est, (inquit Rupertus) quia non solummodò conciuēs verū etiam consanguinei fuerūt; ita vt Pompeius C. Cæsaris gener, & Octauiani Antonius fororius existeret: & tamen non magis potuerunt per concordiam coherere sibi, quàm potest ferrum misceri testæ: Et tandiu dissenserunt, donec pars inferior victa decessit. Ibi pars partem vnus eiusdemque Romanæ virtutis, ita velociter, & fortiter superauit, vt pars quæ victa est, luteæ testæ; pars autem quæ vicit, ferro possit comparari. ] Potuerunt igitur partes inuicem copulari nexibus cognationum & affinitatum, sed non ideo sibi adhæserunt; & vnus alium in supremæ potestatis consortium renuit admittere: quia vbi agitur de summo Imperio, iacent omnium iura necessitudinum; & vt illa Megera patrem curru inuecto proteri mandans aiebat. In causa regni, nullum est adeo Sanctum aliàs nomen, quod non violetur.

9 Abundè monstratum videtur, quàm improvidè Aduersarius, societate summæ potestatis in geminis fratribus allegarit, ad stabiliendam nouitatem pro qua sagit: cum nec frater fratrem, nec alius cognatus, aut affinis in summæ potestatis participio, cognati aut affinis nomina attenderit, consortij impatiens. Et quod de allectione Cæsarum in Augustos adducebatur, est planè inane. Aut enim salua erat subiectio allecti ad allegentem, aut interueniebat partitio prouinciarū quas quisque seorsim sibi haberet regendas, indepēdenter ab alio. Sanè Lucius Verus, ita M. Antonio fratri adiunctus est in Imperij consortem. [Quando primū (vt ait Capitolinus) Romanum Imperium duos Augustos habere coepit,] vt reuera Fratri à quo allectus fuerat subiaceret obsecutus illi, vt legatus Proconsuli, & Præses Imperatori. Verba sunt eiusdem Capitolini. Ex quibus liquet, delatolice fratri titulo, ac insignibus Augusti, summam tamen

men rerum penès Marcum permansisse; atque adeò ne tunc quidem fuisse binas summas potestates in vertice Imperij Romani, nisi titulo tenus. Id quod aequè cogitandum est de postea factis tam multorum allectionibus in Augustos; nisi cum suas quisque portiones imperij, suo nutu regendas accipiebat, vt factum est inter Constantini filios, & inter Honorium atque Arcadium, Gratianumque ac Theodosium. Cæsarum, qui simul cum Augustis viuebant, alia fuit ratio. Erant enim duntaxat Imperatores designati, & in spè summæ potestatis creabantur; Designatos Augustæ maiestatis hæredes, vocat Spartianus<sup>a</sup>. Et hæc ipsa veluti prolusio ad Imperium, ac subitio primæ scandulæ qua suprema potestas adeunda erat, neminem laet quâtarum suspicionum sementis sæpè extiterit; aut quantoperè famem Cæsarum exaceruerit, dum ad potiundum imperium saluarent, præsertim si sera nimis esset vita Augusti, & præter votum, protraheretur pleni Imperij possessio. Vt pro miraculo habitum sit, quod Antoninus Adrianum, cui successor dictus erat, vitæ fastidio prohibuerit, inde Pius cognominatus. Non sic Caracalla erga Seuerum patrem, & Iulianus erga Constantium. Si tamen captatio plenæ potestatis, quàm Cæsares spe tantum tenebant, omnem illis reuerentiam excussit erga eos quibus erant obstrictissimi, in promptu est æstimare, quid non fuissent conuisi, si iam potiti gustu exercitij summæ potestatis, adacti fuissent, consortem, plerumque disparis arbitrij futurum, nec vno voto victurum, agnoscere.

<sup>a</sup> in Aelio Vero.

<sup>b</sup> Oras. de laudib. Constanti.

10. In summa, fuit semper ea allectio in collegam supremæ potestatis, suspecta periculi cõfusionis ac tumultuum & scissionum. [ Nam multiplex Imperium, (verba sunt Eusebij<sup>b</sup>) quod ex hominibus honore & sensu paribus constat, quodque cum Monarchia ex aduerso pugnat, confusionis ac seditionis potiùs, quàm Imperij

men meretur. Quamobrem vt vnus Deus est, non duo,  
non tres, neque prater ea plures; (nam Deorum intro-  
ducere multitudinem, est reuera Deum tollere) sic vnus  
omnium Rex & Imperator, vnum illius verbum, & Re-  
gia lex vna.] Vidit hoc Lydus ille quem Serinus referen-  
te Stobæo<sup>a</sup> adducit alloquentem Cræsum, cum fratrem  
in Confortium Imperij assumpsit. [ Omnium (inquit) in  
terra bonorum, ò Rex, auctor est Sol: neque quicquam  
extaret in terra, Sole non illustrante. At si gemini Soles  
fierent, periculum immineret, ne omnia conflagrancia,  
pessum irent. Ita & Regem, vnum quidem accipiunt Ly-  
di, & Seruatorem esse credunt: duos verò simul, tolera-  
re non possunt. ] Ne in priuata quidem domo, uedum  
in Regno, aut Imperio, duas ex æquo moderantes sum-  
mas potestates absque confusione & tumultu esse posse,  
dixit Græcus Poëta<sup>b</sup> Clementi Alexandrino sæpè lau-  
datus. Et probat ex vigente inter duos fabros inuidia,  
& ex tumultuosis geminis dominijs ciuitatum.

<sup>a</sup> *Serm. de Me-  
narchia.*

<sup>b</sup> *Euripid. in  
Andromacha  
act. 2.*

*Quando item flatus Nautas ferunt celeres,  
Gemina mentium sententia super Gubernaculo,  
Multitudoque frequens sapientium imbecillior est  
Vna mente, cui summa rei constituenda potestas est,  
Licet sit tenuior vnus potentia,  
Valet & publicè, & domi cum rerū petitur tranquillitas.*

¶ Nullo ergo modo est verisimile, Christum Domi-  
num, talem formam regiminis, & adeò incommodam,  
adeòque malis obnoxiam gubernandi rationem, locum  
in Ecclesia tam prouidè, ac sapienter constituta habere  
voluisse: ita vt valere circa eam posset illud Hieremiæ<sup>c</sup>:  
*Pastores multi, demoliti sunt vineam meam, conculcauerunt  
partem meam desiderabilem in desertum solitudinis.* Idque  
à Christi institutione abhorrere, nec vnquam admitten-  
dum esse, perspexisse videtur Clerus Populusque Roma-  
nus, tempore Constantij, qui Liberium ob infractum ini-  
tio

<sup>c</sup> *c. 12. v. 10.*

tio animum, nec ad S. Athanasij damnationem villis  
 aut precibus, aut minis mollitum, relegari in exilium  
 iusserat, suscepto ei Felice II. Mox verò, cum matrona-  
 rum supplicibus postulatis dedisset Liberij regressum, da-  
 tis Romam literis edixit, vt Liberius, non exautorato  
 Felice, sedem reciperet, ambobus simul ad Ecclesie  
 Clauum sessuris, & administraturis Apostolicam sedem:  
 id quod Synodus item Syrmienfis Arriana, datis ad Fe-  
 licem & clerum Romanum literis, statuisse refertur à So-  
 zomeno <sup>a</sup>. Reclamante tamen authore libri de Roma-  
 nis Pontificibus: qui Liberij postquam aduersus San-  
 ctum Athanasium subscripisset, mandatam à Synodo  
 restitutionem testatur, vna cum depositione Felicis. Vt  
 vt sit, Romanus Populus (quod Theodoretus notauit <sup>b</sup>)  
 cum in Circo in quo spectaculis operam dabat, de Im-  
 peratoris literis, & gemino deinceps Pontifice inaudif-  
 set, derisit Imperiale decretum, quasi bifariam tunc diui-  
 sã plebi; & his ad Praefinos, illis ad Venetos, se adiun-  
 gentibus, binos Constantius prouidisset Episcopos. Mox-  
 que in communem vocem serid erumpens exclamauit:  
*Vnus Deus, vna fides, vnus Episcopus.* Nec alius fuit sen-  
 sus Confessoribus illis Romanis, qui à Nouato prius se-  
 ducti, & in Nouatiani Pseudopontificis partes contra  
 Sanctum Cornelium dolo abstracti, imposturam post-  
 modum dedocti, in hanc vocem eruperunt, vt est in  
 S. Cornelij literis ad Sanctum Cyprianum <sup>c</sup>. [Et si vide-  
 bamur quasi quamdam communicationem cum schif-  
 matico & hæretico homine habuisse, sincera tamen  
 mens nostra, semper in Ecclesia fuit. Nec enim ignora-  
 mus vnum Deum esse, vnum Christum esse Dominum,  
 quem confessi sumus, vnum Spiritum sanctum, vnum  
 Episcopum in Catholica Ecclesia esse debere.] Vbi di-  
 sertè Romanus Pontifex, & Catholicæ Ecclesiæ Episco-  
 pus

<sup>a</sup> lib. 4. c. 14.

<sup>b</sup> lib. 2. hist. c. 17.

<sup>c</sup> Epistol. apud Cyprian. 46.

G pus

pus dicitur, & non nisi vnus esse debere, affirmatur à Romanis Confessoribus.

12 Et idem planè affirmandum est de alijs Episcopis vni alicui particulari Ecclesiæ præfectis. Ita enim Spiritus sanctus eos posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, vt quisque suam sibi sedem absque consorte consentaneè ad Christi institutionem haberet. Nec incommodant huic negotio qui aliquando in quibusdam Urbibus federe visi sunt plures simul Episcopi, vt Meletius & Paulinus Antiochiæ, S. Valerius, & S. Augustinus Hippone. Idem delatum esse Episcopis Donatistarum à Catholicis Episcopis, habetur ex Epistola notoria, quàm Episcopi Catholici Marcellino Tribuno & Notario obtulerunt, cum eum Honorius Collationis Carthaginensium Iudicem delegisset. Veritatis enim fiducia condixerunt, vt si Donatistæ vincerent, ipsi soli remanerent Episcopi. Sin autem vincerentur, in Collegas simul Episcopatu potituros admitterentur à Catholicis, donec vno eorum defuncto, deinceps iam singuli pristino more succederent. Idque est, quod D. Augustinus sermone quodam per illud tempus habito <sup>a</sup> significat cum ait. [ Latum mandatum tuum valdè; Domine Deus noster, approba quia propter ipsam latitudinem, fratres nostros ad possessionem pacis inuitamus. Episcopi vultis esse? Nobiscum estote. Non vult populus duos Episcopos, nobiscum in hæreditate fratres estote. Non propter honores nostros, impediamus pacem Christi. ]

<sup>a</sup> serm. 36. ex  
40. notiss.

13 Nego ista officere antedictis. Neque enim, qui ita ad alium Episcopum allegebantur Episcopi, erant simpliciter Episcopi, eidem Ecclesiæ plena Episcopali auctoritate simul præsidentes: sed vel vnus eorum erat duntaxat designatus successor, vel vterque portionem suam Episcopatus antea indiuisi regendam accipiebat, ad  
tem-

tempus. Primum videtur habuisse locum in S. Augusti-  
 no, cum à Valerio, & sene, & dicendi ob linguæ vitium  
 impote, verito ne D. Augustinus ad aliquam aliam Ec-  
 clesiam expeteretur, cooptatus est in Collegam: quod  
 tamen illegitimè factum, agnouit postea S. Augustinus <sup>a</sup>,  
 factus & sibi, & seni Valerio, incompetum tunc fuisse  
 canonem Nicænum <sup>b</sup>, quo Nouatianis Episcopis resipi-  
 scentibus, regressum ad Ecclesiam, & pristinos in Clero  
 honores ita cõcessit, *primogenita illa Spiritus sancti filia* <sup>c</sup>,  
 vt tamen in vna ciuitate non essent duo simul Episcopi.  
 Et quanquam Synodus Nicæna, non de Episcopis dun-  
 taxat designatis (cuiusmodi sunt Adiutores, etiam si cha-  
 ractere Episcopali initiati) sed de Episcopis simpliciter  
 dictis egisse videri potest; nihilominus S. Augustinus in-  
 doluit, se, vel eo diminuto modo, eiusdem Sedis simul  
 cum alio factum esse Episcopum: & postulans sibi suc-  
 cessorem Eradium, noluit eum habere Collegam adiu-  
 torem, sed pleno iure successorem futurum designauit,  
 nec sedere secum voluit & ordinari Episcopum, habenas  
 ei iam tunc permittens, vt Ecclesiæ pro arbitrio modera-  
 retur; sed tãtum ad eum in gradu presbyterij remanen-  
 tem, referri voluit negotia, de quibus si necesse foret, ab  
 eo consuleretur.

14. Alterum quod dicebam de varijs eiusdem Episco-  
 patus portionibus ad tempus attributis, pluribus simul  
 sedentibus Episcopis, habuit locum in Meletio & Pauli-  
 no Antiochenis Episcopis ex decreto Cõcilij Antioche-  
 ni; de quo Socrates <sup>d</sup> atque Sozomenus <sup>e</sup>. Et videntur  
 etiam ad hunc modum intendisse Catholici Episcopi  
 Africani admittere Donatistas in Coëpiscopos, si resipi-  
 scere vellent, & concordiam sarcire. Verba enim D. Au-  
 gustini <sup>f</sup> referentis, quid Episcopi pacis causa obtulissent,  
 sunt huiusmodi. [ Diximus posse in vna Ecclesiâ pacis  
 causa esse fratres concordēs (speciosa enim res est con-

cordia fratrum.) Non posse enim duos esse Episcopos diximus ut ambo sedeant in vna simplici Basilica: Ille in Cathedra, ille ut peregrinus: Ille in Cathedra Christiana, ille in Hæretica; quasi collega iuxta sedeat: rursus ille in Congregatione sua præsideat, vicissim ille in sua.] Et in Notoria Episcoporum ad Marcellinum. [Poterit quippè vnusquisque nostrum honoris sibi socio Copulato, vicissim sedere eminentiùs: sicut peregrino Episcopo, iuxta confidente Collega. Hoc cum alternis Basilicis, vtrisque conceditur, vterque ab altero honore mutuo præuenitur, quia vbi præceptio charitatis dilatauerit corda, possessio pacis non fit angusta, ut vno eorum defuncto, deinceps iam singuli pristino more succedant.]

15 Ex his ergo apparet, nunquam viguisse vsum, ut eiusdem simul plebis duo essent pleno iure Episcopi; quia sensus Ecclesiæ semper fuit, id abhorrere à Christi institutione. Quanto ergo magis in totius Ecclesiæ suprema Præfectura, consentaneè ad Christi mentem, vnitas Rectoris Christi Vicarij est necessaria?

Audio quid Aduersarius ad ista reponat. Causatur enim se grauari calumnia: quasi diceret, aut nunc posse, aut extra vnicum SS. Petri & Pauli exemplum aliquando potuisse fieri, ut duo essent simul Summi Pontifices; cum tamen tantùm contendat, ea duntaxat vice, ex speciali priuilegio in scripturis & traditione expresso, sic contigisse. Verùm quid scripturæ ac traditio ferant, infra expendemus. Nunc dico, nulla ratione esse verisimile, Christum eam adeò vitiosam regiminis formam, vel ad eam vnã vicem, induci in Ecclesiam voluisse. Et maximè in personis illis, par fuit nõ statui exemplum reprobæ illius pluralitatis Pontificum, ne serperet malus vsus. Qua ratione cum aliqui ad extollendam Deipazam, dixissent eam præsedisse concilio primo Apostoli-



eo, displicuerunt prudentibus tractatoribus, monentibus non expediuisse statui in Deipara exemplum talis muliebris præsentia in Conuentu Ecclesiastico, ne deinceps foeminea animi impotentia eo aspiraret, & Elisabetha quæpiam, pro Ecclesiæ Capite se venditans, factum suum ea Virginis Matris prærogatiua tueretur. Idem ergo in hoc negotio est statuendum.

16 Neque verò si supponeremus id ritè semel factum esse, haberemus vnde solidè euinceremus, non posse id ipsum sæpiùs ad praxim reuocari. [ Quod enim semel fecisse bonum est, non potest malum esse, si frequenter fiat: aut si aliqua culpa vitanda est, non ex eo quod sæpè, sed ex eo, quod fit aliquando, culpabile est. ] Iudicium est S. Hieronymi, ex eo confirmantis posse alio tempore frequentari sacras vigilias, quod in vigilijs Paschæ, quas Ecclesia vbiuis religiosissimè obseruabat, negligenter incommoda vigiliarum, quæ Vigilantius pro alijs temporibus se timere obtendebat. Itaque cum institutio, Christi sit metrum ad quod conformanda est posteriorū institutio, profectò si Christus binos simul instituit Pontifices summos, fas est Ecclesiæ institutis Christi inhærendo, duos simul Pontifices habere, quod parum consequenter inficiatur Aduersarius.

17 Modus posterior unitatis moralis binorum Capitulum, is erat, quo duo cum pari potestate suprema, moderarentur Ecclesiæ; ita tamen vt potestatem non exercerent, nisi alternis. Verùm non est, quod simus in præsentia de his capitibus solliciti; quia Aduersarius non dixit SS. Petrum & Paulum alternis fuisse Pontifices, sed vult vtrumque simul præfuisse Ecclesiæ cum suprema potestate. Deinde is modus regiminis adeò imperfectus est, totque incommodis apertè obnoxius, vt nullo verisimilitudinis colore fingi possit, eum fuisse à Christo probatum. Imperfectio autem illius regiminis, sita præsertim

rim

tiam est in defectu perpetuitatis pro toto tempore vitæ :  
 quem regendi modum grauibus temporariæ potestatis  
 incommodis liberum esse, sapienter demonstrat Nico-  
 laus Orlandinus <sup>a</sup>. Ea item ratione, præbetur Occasio  
 fouendi ambitionem, dum quisque captat gubernacula  
 breui ab vno in alium deuolenda, vt apud Iudæos con-  
 tigisse ex hac causa, cum Pontificatus ex Dei Lege per-  
 petuus, factus est annuus, obseruauit S. Augustinus <sup>b</sup>.  
 Plerumque item seruitur impotenti cupiditati Tyran-  
 norum, siue volentium ea ratione gratificari pluribus,  
 eosque sibi habere obnoxios, siue satagentium marsupia  
 exfugere ad noui cuiusque Antistitis electionem. Qua  
 ratione, ex quo Imperium Constantinopolitanum Otho-  
 manicæ potentie cessit in prædam, Patriarchæ Orienta-  
 les identidem de gradu deiciuntur, vt vno abiecto suffi-  
 ciatur alius, qui pinguius infamis mercimonij pretium  
 offerat: quod iam olim coeptum, vt in Turcogræcia vi-  
 dere est, hodieque miserè continuatum liquet. Nec ad-  
 modum dissimili ex causa, cum ventum est ad sedimen-  
 tum legis Iudaicæ, Pontificatus quem more antiquo ne-  
 cesse erat esse perpetuum, factus est annuus, iuxta illud  
 de Caipha, erat Pontifex anni illius: quod in hunc sen-  
 sum interpretatus est S. Augustinus <sup>c</sup>, & probabiliorem  
 esse expositionem, censet Maldonatus <sup>d</sup>. Et saltem pro-  
 libito Præsidum Iudæam administrantium, Pontifica-  
 tum vni ereptum, alteri datum esse, constat ex Iosepho,  
 notatque ex receptissima sententia Maldonatus <sup>e</sup>. Sic-  
 que Caiphas deiecto Anna adhuc superstite, potuit esse  
 Pontifex anni illius: quod non fuisset de eo pronuncia-  
 tum, si Pontificatus in socero ac genero simul ex dimi-  
 dia parte fuisset, vt sinxit Calvinus, rectè confutatus ab  
 Adamo Gontzen <sup>f</sup>. Multus est in eo nodo extricando  
 Baronius <sup>g</sup>. Vt vt verò ea Pontificatus Iudaici mutabi-  
 litas se habuerit, de qua nunc nostra non refert; Chri-  
 stus

<sup>a</sup> lib 5. *hiffor.*  
*Societ. a num.*  
 223.

<sup>b</sup> *tract. 49. in*  
*Ioan.*

<sup>c</sup> *in c. 11. Ioa.*  
*tract. 113.*  
<sup>d</sup> *Luc. 3. v. 2.*

<sup>e</sup> *18. antiq. c.*  
<sup>f</sup>  
<sup>g</sup> *in c. 11. Ioa.*  
*vers 51.*

<sup>h</sup> *in c. 3. Luca*  
*vers. 2. q. 1.*  
<sup>h</sup> *anno 31.*

stus in Ecclesia sua Pontificatum perennem esse voluit, nisi renunciatio electi in Pontificem interueniret: quam posse validè & honestè interuenire, cõfirmat Petrus Damian<sup>a</sup>, & tanquam certum declarauit Bonifacius VIII.<sup>b</sup>

<sup>a</sup> epist. 9.  
<sup>b</sup> in 6. lib. 1.  
tit. 7. c. 1.

18 Manifestè igitur euictum manet, neutrum è modis quibus Aduersarius exponere poterat, quomodo duo capita dici possent vnum, esse reuera idoneum; nec posse censerì vnitatem, sed debere potiùs confusionem appellari, vt rectè pronunciauit Facundus <sup>c</sup> de vnitate Eutycharum. Rectiusque dicetur effugium merè in vocibus situm, ad declinandam inuidiam ex nouitia inuentione binorum corporis Ecclesiæ capitum, quæ monstrositatem præfert, & apud imperitos vtcumque videtur declinari, cum duo illa capita dicuntur in vnum coalescere, nec esse nisi vnum caput; quamuis si vnum est, multitudine careat oportet; aut si est in eo multitudo, non possit agnosci in eo vnitas. Ridiculū verò est, quod Aduersarius in hanc causam aduocat, diuinissimam Triadem, in qua tres personæ vnicum sunt ac triplex lumen, vt loquitur Nazianzenus <sup>d</sup>. Sed præterquam quod meminisse oportuerat, Dei proprium esse nullam admittere comparationem, vt rectè statuit S. Hilarius, ratum est apud Theologos, tres diuinæ Trinitatis personas, non posse dici tres creatores, atque adeò tres orbis moderatores, aut tria mundi capita; quia omnes illæ denominationes, spectant omnipotentiam, voluntati nostro loquendi modo subiunctam, quæ non multiplicatur pro numero personarū, sed est pro omnibus vnica & simplicissima. At bina capita de quibus agimus, cum sint duæ personæ creatæ, non possunt non instrui sua quæque voluntate. Ineptè igitur huc aduocatur Sancta Trinitas, & indiuisa vnitas; vel vt Ennodius <sup>e</sup> asperè de more dixit, triplex in vnitatibus maiestas.

<sup>c</sup> lib. 1. c. 2.

<sup>d</sup> orat. 39.

<sup>e</sup> lib. 9. epist. 7.

19 Ineptit præterea Aduersarius cum bina sua capita  
vnum

vnum efficere, confirmat ex S. Gregorio, vnius S. Petri  
 sedem tribus in locis agnoscente, nimirum Romæ, Ale-  
 xandriæ, Antiochiæ, quibus omnibus locis S. Petrus se-  
 dit Episcopus. Hoc quid ad institutum? Quamuis enim  
 SS. Gregorius, & Eulogius, ac Anastasius, qui tunc re-  
 gebant Ecclesias quas S. Petrus aliquando per se ipsum  
 rexerat (vnde etiam dictæ sunt Patriarchales) in eo con-  
 uenirent, quod vnius & eiusdem Apostoli Cathedræ in-  
 siderent, modo explicato suo loco; & eatenus nonnul-  
 la veluti affinitate colligarentur: Tamen ita erant tres  
 Pontifices, vt non essent vnus Pontifex. Id enim neque  
 dicit S. Gregorius, neque reuera dici potest, sicut neque  
 potuerunt dici trina Ecclesiæ capita, cum solus Roma-  
 nus Pontifex capitis nomine absolutè quoad totam Ec-  
 clesiam donari possit: benignèque accipienda est quin-  
 ticipitis Ecclesiæ denominatio à S. Theodoro inuecta, pe-  
 nès quinque Patriarchas; ita scilicet, vt omnes ac sin-  
 guli sint capita, cum distributione accommodata; Ro-  
 manus simpliciter & absolutè, cœteri non nisi secun-  
 dùm quid, nempè per ordinem tantùm ad suum regi-  
 men, & cum subordinatione ad Romanum. Non ta-  
 men idcirco possunt dici vnus Episcopus, nisi originali-  
 ter, vt sic dicam; Et eo modo quo S. Cyprianus<sup>b</sup> dixit,  
 Episcopatum vnum esse, & à pluribus teneri, quia spe-  
 ctabat originem totius Sacerdotij & fontem Hierarchie,  
 cui adhæreant necesse est omnes riuuli, ni velint exare-  
 scere. Sed hoc vt per se patet, nihil refert ad vnitatem  
 binorum capitum, qualem Aduersarius inducit, cum  
 æquiparantia amborum; & absque subordinatione; &  
 qualem fortassis etiam cogitabat schismaticus Balla-  
 mon, cum quinque Patriarchas dixit esse vnum caput  
 Ecclesiæ Dei.

a in Coronis  
 aurea pra-  
 not. 4i

b lib de unit.  
 Ecclse.